

ab objecto suo jam actu existente; v. g. sensus determinatur ad sentiendum sensibilibus in actu, intellectus *possibilis* ad intelligendum specie intelligibili in actu existente, et voluntas ad volendum specie boni, quo tanquam fine trahitur. — Contrà, activæ nominantur potentiæ quæ movent seu mutant suum objectum, faciuntque ut sub aliquo respectu evadat *actuale*; v. g. potentia vegetativa et intellectus agens (1).

CAPUT III

DE POTENTIIS ANIMÆ IN ORDINE AD OPERATIONES SUAS CONSIDERATIS

Tria sunt dicenda: 1° utrum ab actibus suis realiter distinguantur potentiæ? 2° utrum unaquæque ad actum suum habeat inclinationem, sive conatum? 3° utrum quibusdam potentiis specialis inclinatio sive habitus insit ad quosdam actus determinatos?

ARTICULUS I

De discrimine inter potentias et earum actus.

20. Errores. — Cartesius non distinguit potentias animæ ab earum actibus, quia, juxta ipsum, potentia est semper in

(1) « Non distinguitur potentia activa a passivâ ex hoc quòd habet operationem; quia cum cujuslibet potentiæ animæ tam passivæ quam activæ sit operatio aliqua, quælibet potentia animæ esset activa. Cognoscitur autem distinctio earum per comparisonem potentiæ ad objectum. Si enim objectum se habet ad potentiam ut patiens et transmutatum, sic erit potentia activa; si autem e converso se habet ut agens et movens, sic erit potentia passiva. » (S. Thomas, *Qq. dispp. de Verit.*, q. XVI, a. 1, ad 13).

actu, et repugnat conceptus potentiæ non semper actuosæ. Positivistæ autem existimant nihil reale esse in homine præter actiones aut phænomena, potentias autem esse mera nomina a philosophis inventa ad actiones commodiùs explicandas.

21. Assertio: *In animâ, ut in omni ente creato, potentiæ ab actibus suis realiter discriminantur.*

1° Realiter differunt causa et effectus. Porrò, in omni ente creato, potentia se habet ad suum actum, sicut causa ad effectum quem elicit. — 2° *Posse* agere, et agere *actu* sunt duo planè distincta, imò contraria, cum non possint simul in eodem subjecto existere. Atqui potentia dicit meram possibilitatem agendi, actus verò dicit operationem actu exercitam. — 3° Conscientiâ teste, non semper sentimus, aut intelligimus, aut volumus actu, sed transimus de potentiâ in actum, ipsæque nostræ sensationes, intellectiones, volitiones, in horas mutantur, et aliæ aliis succedunt. Porrò idem esse nequit id quod ita pertransit et mutatur, et id quod has mutationes ac variationes in sese vel recipit vel producit.

22. Corollarium. Hinc patet falsitas opinionis Cartesii necnon positivistarum. Nam ex unâ parte, activitas actu exercita non pertinet ad essentiam potentiæ, sed tantum facultas agendi, quæ integra remanet, etiam cum actu sese non exercet; ex alterâ parte, transeunt actiones, dum semper manent potentiæ, a quibus, datâ occasione, sponte actiones erumpunt.

ARTICULUS II

De conatu potentiis insito (1).

23. Conatus notio. Conatus est certa inclinatio insita potentiis ad operationes sibi proprias; hanc *nisum*, sive *appetitum naturalem* scholastici cum Aristotele nuncupaverunt.

(1) Cf. S. Th., *Qq. dispp. de Verit.*, q. XXII, a. 1; 1°, q. XXX, a. 1, c. et ad 3.

Quare conatus non meram præsertim capacitatem ad actum exercendum, sicut potentia, sed potentiæ certam superaddit *propensionem*.

24. Assertio : *Unicuique potentiæ inest conatus ad actum proprium.*

1° Experientia testis est omni enti et omni potentiæ animæ naturalem appetitum inesse ad proprium objectum, v. g. auribus ad sonos, oculis ad colores, intellectui ad verum. — 2° Et revera, quælibet res inclinationem habere debet ad proprium bonum. Sed actus est bonum potentiæ; quippe cui connaturalem perfectionem confert.

25. Conatus effectus triplex distinguitur, nempe: 1° ubi suum adest objectum, quævis facultas statim in illud tendit propriâ vi et naturali appetitu; — 2° quò magis in objectum suum intendit, eò perfectius elicit actionem suam; — 3° at quò vehementius in actu suo detinetur, eò remissior fit actus cæterarum facultatum. E. g. si oculus alicujus rei spectaculo plus nimio capiatur, auditus non percipit ea quæ dicuntur, propterea quòd una et eadem est anima quæ per diversas potentias operatur; ac proinde, cum limitata sit illius vis, intensio operationis unius, operationes facultatum aliarum imminuuntur.

ARTICULUS III

De habitu (1).

26. I. De habitus naturâ. — Quoad nomen, habitus originem ducit ab *habendo*, et vel designat aliquid ab aliquo propriè haberi, vel aliquem se ipsum hoc vel isto modo habere.

Quoad rem, habitus definiri potest *qualitas stabilis quæ ens aliquod benè vel malè disponitur*.

(1) Cf. S. Th., 1^a-2^a, q. 49-55; opus nostrum: *La Vie et l'Hérédité*, p. 49-51 et 360-375.

Dicitur 1° qualitas, i. e. certa proprietas extra essentiam entis posita.

Dicitur 2° qualitas stabilis, non autem fluxa, ut actus, aut transitoria et mobilis, ut simplex dispositio.

Dicitur 3° quæ ens aliquod benè vel malè disponitur, i. e. modo convenienti vel non convenienti suæ naturæ; v. g. virtus et vitium, sanitas et ægrotudo.

Quare patet eum tum a conatu, tum a potentiis distingui. A *conatu* quidem, quia conatus a naturâ omnibus animæ potentiis omnibusque entibus convenit, et potentiam ad omnes actus sibi proprios *indifferenter* inclinât. Habitus contra non omnibus entibus, imò nec omnibus animæ potentiis propriè convenit, et inclinât potentiam ad agendum alio potiùs quàm alio modo, benè vel malè.

Differt quoque a *potentiis*, siquidem eæ a naturâ entis oriuntur, meram agendi facultatem præferunt, et ad varios suos actus *indifferenter* se habent. Habitus verò ex repetitis actibus acquiri potest, et potentiam in ordine ad specialem operationem disponit, ut eam meliùs, vel minùs benè exequatur (1). Demum potest abesse, salvâ et integrâ potentiâ.

II. De habitus subjecto.

27. Assertio : *Habitus propriè naturæ entis, vel potentiis spiritualibus, latius autem et secundario cæteris potentiis, imò corpori nostro, animalibus et plantis competere possunt.*

PROB. 1^a PARS, quia naturæ, licèt in genere suo completæ, accedere potest quædam *qualitas*, quæ ulterius ornetur vel afficiatur; v. g. corpus sanitate, vel pulchritudine, vel defectibus contrariis affici valet; anima autem (in ordine *supernaturali*) ornatur *gratiâ* quæ vulgo *sanctificans* vel *habitualis* appellatur.

PROB. 2^a PARS, quia 1° intellectus et voluntas *indigent* habitu. Nam quatenus potentiæ rationales, non determinantur

(1) « Hæc apparet differentia inter habitum et potentiam, quia potentia est quæ possumus aliquid *simpliciter*, habitus autem quo possumus illud *benè* vel *malè*; sicut intellectus, quo consideramus, scientia, quæ benè consideramus. » (*In lib. IV Sent.*, dist. 14, q. 1, a. 1).

ad unum, sed indifferenter se habent ad actus diversos, et ad objecta saltem materialiter diversa. Porrò nisi habitu quodam ad aliud præ alio inclinentur, eorum activitas lenta remanebit et indeterminata. Tunc enim cuilibet actui præcedere debet *inquisitio*, « sicut patet de eo qui vult considerare, « nondum habens scientiæ habitum, et qui vult secundùm « virtutem agere, habitu virtutis carens. » (S. Thomas, *Qq. dispp. de Verit.*, q. 1, a. 1, c). — 2° Hæ duæ facultates possunt ex se acquirere habitus; cùm enim reflexione ac libertate polleant, mutare valent suum agendi modum suamque activitatem ad nova vertere itinera.

PROB. 3^a PARS contra Garnier, Maine de Biran, aliosque hodiernos qui tribuunt habitus potentiis sensitivis, humano corpori, et organicis rebus æquâ ratione ac intellectui et voluntati. — At 1° potentiæ sensitivæ et vegetativæ naturâ suâ *determinantur* ad unum agendi modum; ergo nullo habitu *indigent*, unde potiùs ad hoc quàm ad istud inflectantur. — 2° *Non possunt* ex seipsis formare sibi habitus, quia reflexione et libertate carent, et ideo mutare non queunt activitatis suæ directionem.

Attamen, quia potentiæ inferiores in homine, immediatè rationi junguntur, ab eâ regi et ad diversa ordinari possunt; unde secundariò valent habitus quosdam acquirere.

Dicendum est etiam de corpore nostro et plantis quod de animalibus dicit S. Thomas: « Si sibi relinquuntur bruta animalia, operantur ex instinctu naturæ; et sic in brutis animalibus non sunt aliqui habitus ordinati ad operationes; « sunt tamen aliquæ *dispositiones* in ordine ad naturam, ut « sanitas et pulchritudo. Sed quia bruta animalia a ratione « hominis per quamdam consuetudinem disponuntur ad ali- « quid operandum sic vel aliter, hoc modo in brutis anima- « libus habitus quodam modo poni possunt. » (1^a 2^o, q. 50, a. 3, ad 2).

28. III. *De habitus divisione.* — Trifariam dividitur habitus, scilicet ex parte subjecti, originis, ac finis et originis simul.

1° *Ex parte subjecti*, habitus distinguitur in *entitativum* et

operativum, prout naturam (1) vel potentias afficit. Sed habitus operativus dividitur in *intellectualem* et *moralem*, prout afficit intellectum, ut scientia, vel voluntatem, ut virtus.

2° *Ex parte originis*, distinguuntur habitus *naturales* et *adquisiti*, prout a naturâ, vel ex repetitis actibus accipiuntur. — Plerique recentes philosophi non nisi *adquisitos* habitus videntur admittere; unde habitum definire solent « *facilitatem certos actus producendi, ex eorundem actuum repetitione oriundam.* »

At verò *constat* existere habitus quosdam naturales, qui scilicet a naturâ ipsâ saltem *inchoentur*. Etenim omnis homo ex naturâ habet certam inclinationem ad prima principia *sponte* intelligenda, quæ a D. Thomâ vocatur *habitus principiorum*, et *necessaria* est ut cuncti homines facile assequi possint veritates quibus innititur omnis vita rationalis. Habitus ille dicitur *habitus speciei*, quia omnibus hominibus inest, et oritur ex principiis ipsis naturæ humanæ.

Insuper quidam homines ex naturâ etiam, nempe ex hæreditate, pro ipsâ corporis complexione et organorum indole, *speciales* habent dispositiones vel ad scientias generatim, vel ad certas artes, vel ad quasdam virtutes, v. g. mansuetudinem, temperantiam; alii autem homines *defectus* contrarios ab ipsâ nativitate vel *hæreditate* accipiunt. Qui habitus a D. Thomâ nuncupantur *habitus individui*, quia ex principiis individualibus oriuntur.

Attamen advertere præstat habitus naturales quicumque sint, *inchoativè* tantum a naturâ dari, nec esse nisi quædam *semina* quæ, ut exoriantur, a causis extrinsecis suscitari ac fovendi debent.

3° *Ex parte finis simul et originis*, dividitur habitus in *naturalem* ac *supernaturalem*; prior ordinatur ad actus qui vires proprias agentis creati non superant; posterior autem ordinatur ad actus altioris ordinis, sive *per se* excedat facultatem

(1) Notandum est tamen habitus generatim potiùs ad *actionem* spectare quàm ad *naturam*; tum quia plerique potentias afficiunt, tum quia habitus ipsi qui afficiunt naturam, *indirectè* ad operationem respiciunt, cum natura sit mediatè propter operationem, et ex eâ oriuntur potentia.

naturalem; v. g. *fides*, *spes*, *charitas*, sive tantum ex modo quo datur; v. g. scientia linguarum apostolis a Deo subito collata. — Habitus supernaturalis dicitur etiam *infusus*, quia supernaturaliter a Deo infunditur.

29. IV. *De habitus effectu.* — Triplex est effectus habitus: facit nimirum ut potentiae in actum suum uniformi, facili ac delectabili ratione prorumpant. — 1° *Uniformi*; quia est stabilis qualitas, ad agendum inclinans potius eo quam isto modo; unde a D. Thomâ vocatur « *altera natura* » (1^a, q. 63, a. 4, ad 2), quatenus uniformiter ut natura operatur. — Non tamen absolutè necessitatem inducit, ut natura; sed tantum minuere libertatem solet; at, experienciâ teste, sicut *acquiri* vel *augeri* potest, ita etiam *imminui* vel *amitti*. — 2° *Facili*; quia ex habitu certa propensio in actus quosdam enascitur; quanquam habitus in illâ facilitate non consistit, ut recentes quidam voluerunt, quippe quæ producitur ex habitu, nedum eum constituat. — 3° *Delectabili*; nam, docente D. Thomâ, habitus « operationem sibi propriam quasi *naturalem* reddit, et per consequens delectabilem; nam convenientia est delectationis causa. » (*Qq. dispp.*, q. 1^a de virtute, a. 1, c).

Quapropter habitus naturâ suâ tendit ad fovendum *progressum*. — At, ex aliâ parte, minuit sæpe mentis *attentionem*, *reflexionem*, *studium*, sicque obstat actuum perfectioni.

SECTIO SECUNDA

De potentiis animæ sigillatim inspectis.

Quoniam diximus quinque esse potentiarum animæ *genera*, scilicet potentiam vegetativam, sensitivam, intellectivam, appetitivam et motricem, de iis singulis ordine suo disputandum venit.

CAPUT I

DE POTENTIA VEGETATIVA

Circa vitam vegetativam, de quâ fusiùs in Cosmologiâ, hic breviter tria dicemus: 1° de illius notione ac diversis muneribus; 2° a quonam principio sumenda sit scala viventium; 3° an operationes vegetativæ in homine sint rationales aut naturales.

ARTICULUS I

Notio vitæ vegetativæ diversæque illius potentiae (1).

30. I. *Notio generalis vitæ.* — Operatio vitalis ea est quæ oritur a principio agenti intrinseco et spontaneo; unde viventia distinguuntur a non viventibus, in eo quòd alia spontè se ipsa movent ad agendum quin impellantur a causâ extrinsecâ, alia autem non agunt nisi impulsu aliquo externo moveantur, et potius *aguntur* quàm *agunt*, quia deest ipsis omnis spontaneitas. — Res patet exemplo quod petit S. Thomas ex vitâ in animalibus; nam « primò dicimus animal *vere*, quando incipit ex se motum habere, et tamdiu *judicatur* animal vivere, quamdiu talis motus in eo apparet; « quando verò jam ex se non habet aliquem motum, sed « movetur tantum ab alio, tunc dicitur animal mortuum per « defectum vitæ. » (1^a, q. 78, a. 1, c).

31. II. *Variæ potentiae vitæ vegetativæ.* — 1° Vita vegetativa adæquatè sumpta, triplicem vim amplectitur, nempe *nutritionem*, *augmentum* et *generationem*. Quare principium

(1) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, 1^{re} part., c. 2.